



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo
deliberantibus accomodata, Una cum ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1680

Membrum V. De Lectione Spirituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

rantes. Sed & S. Climacus grad. 28. vocat Orationem Matrem, Reginam, Cibum & fontem virtutum, gratiarum ministram, & profectum invisibilem. Unde & ipse Christus S. Catharinæ Senensi Dial. c. 66. dixit: *Noveris, Filia charissima, quòd in Oratione humili, continuâ, fideli, cum vera perseverantia lucratur anima perfectionem, & omnem virtutem.*

Praxis.

I. Hæc in eo consistit, ut, quemadmodum Sacerdotes suum Officium diurnum, ita ij, qui Sacerdotes non sunt, Officium saltem B. Virginis, si fieri commodè potest, & quidem distinctis per intervalla horis, attentè, reverenter ac devotè recitent.

II. Deinde, ut etiã Rosarium seu Corona B. Virginis devotè quotidie percurratur; cum enim B. Virgo, ut aliquando S. Terefiæ revelatum est, Exercitiorum horum quodammodo Autrix & Fundatrix sit, eaque S. Ignatium docuerit, atque adeò singulari studio ad illorum fructuosum usum haud dubiè cooperatura sit, æquum sanè videtur, ut benevolentiam illius is, qui Exercitia hæc obit, specialibus obsequijs, inter quæ Rosarij recitatio non postremum est, demereri studeat.

III. Denique ut, si occasio ferat, interdium SS. Eucharistiæ Sacramentum visitare, & devoto Hymno vel alia simili oratione venerari & invocare non omittat; dici enim vix potest, quantum ad tenerum devotionis internæ sensum excitandum hæc DEI incarnati corporalis præsentia fortiter menti impressa conducat; unde meritò Directores horum Exercitiorum magnopere semper commendant frequentationem hoc tempore SS. Sacramenti visitationem.

MEMBRUM V.

De Læctione Spirituali.

Natura & Scopus.

I. Cum, ut superiore membro vidimus, Læctio Spiritnalis sit quasi auditio DEI loquentis, & quasi exhortatio quæpiam privata ab eodem ad nos facta faciliè colligitur, quis Scopus debeat esse præfixus huic Læctioni, scilicet, ut

cognoscamus voluntatem DEI atque ad eandem voto animi conatu exequendam excitemur.

Æstimatio.

Quanti facienda sit pia hæc Læctionis Spiritualis exercitatio, breviter & sapienter indicat S. Isidorus, dum l. 3. de summo bono dixit; *Qui vult cum DEO esse, frequenter debet orare & legere. Nam cum oramus, ipsi cum DEO loquimur: cum vero legimus, DEVS nobiscum loquitur. Omnis profectus ex Læctione & Meditatione procedit.* Certe experientiã constat, primarias aliquas conversiones & reformationes per hanc læctionem fuisse procuratas, uti ex S. Augustini, S. Iguatij, aliorumque exemplis videre est. Neque hoc mirum adeo cuiquam videri debet; si enim tot, tamque celebres conversiones per publicas Conciones effectæ sunt, quidni similis efficacia ipsi etiam Spirituali Læctioni attribuantur, quæ, ut dictum est, quasi privata Concio dici potest, habetque plura privilegia, quibus publicas Conciones superat, nam 1. Concionator talis haberi potest, quando placet. 2. Haberi quoque potest talis concio, quamdiu placet. 3. Materia prohibitu eligi potest. 4. Si quid sub hac concione placeat, semel, iterumque relegendo reperi potest. 5. Veritas sine pudore & verecundia liberè dicitur, & auditur in tali concione.

Praxis.

I. Consistit hæc praxis in tribus præcipuè industriis.
I. Ut Materia Læctionis sit studiosè selecta, aptaque ad ipsam finem, quem per Exercitia præcipuè quarimus, facilius consequendum. Unde Directorium c. 3. n. 2. monet, ut ipse Exercitans moneatur, doceaturque, hanc læctionem ad Meditationem dirigere, non legendo cursim aviditate sciendi, & videndi nova, sed immorando & perpendendo accuratè, quæ legit, & intrandi in eisdem affectus.

II. Secundo, ut Læctio hæc moderata sit, ne nimia Læctione vires exhauriantur, & tempus Meditationi, cui omnia servire debent, subtrahatur. Hinc ut occasio curiosæ aut nimix Læctionis præcidatur, suadet Directorium, ut præter Breviarium aut Officium B. Virginis, librum de Imitatione

Chri-

Christi (ex quo quotidie unum saltem aut dimidium caput de industria selectum, & præter hoc interdum una, alterave sententia fortuito sortita legi deberet) & alium quempiam historias aut salutare doctrinam continentem vix alius liber in cubiculo relinquatur.

III. Tertiò ut pia quoque & fructuosa sit Lectio, cumque in finem ab Oratione brevi inchoetur, & claudatur, imò & interrumpatur, ut S. Bernardus in Epist. ad Fratres de Monte monet, dum ait: *Hauriendus Lectiois sermo affectus est, & formanda Oratio, qua Lectioem interrumpat, & non tam impediatur interrumpendo, quam puriorem continue animi ad intelligentiam Lectiois restituit.* Dereliquo vero consilium pij Ascetæ l. 1. de imit. c. 5. observetur dicentis: *Omnis Scriptura Sacra eo Spiritu debet legi, quo facta est. Quære potius debemus utilitatem in Scripturis, quam eloquentiam sermonis. Si vis profectum haurire, lege humiliter, simpliciter, & fideliter applicando doctrinam, quam legis, atque ad praxin dirigendo.*

MEMBRUM VI.

De Examine Generali.

Natura & Scopus.

Ex quinque punctis, quæ communiter ad Examen requiruntur, videlicet Gratiarum actione pro acceptis beneficiis, petitione gratiæ & luminis ad peccata sua cognoscenda, operum suorum discussione, dolore efficaci de peccatis commissis, & serio emendationis proposito, facile colligitur, triplicem huic Examine Scopum præfixum esse debere, videlicet 1. Gratum beneficiorum à DEO acceptorum memoriam, ut dum Homo fluminum more ad mare immensum divinæ liberalitatis per grati animi obsequium revertitur, iterum fluere, novaque beneficia accipere mereatur; nam *jugiter, teste Cassiodoro super Psalm. sibi subvenire facit, cui collatum beneficium ante oculos semper assistit; & invitat ad magna, qui gratanter accipit modica.* 2. Cogitationem sui intimam; iste namque, teste D. Gregorio l. 10. mor. c. 22. *Infortium labor est in hac vita, ut semetipsum inveniunt, & inveniunt flendo & corrigendo ad meliora perducant.* 3.